



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. I. Præmittenda ad resolutionem quæstionis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

§. III.

Solvuntur objectiones.

14. **O**bjicies primò cum P. Annato, in libro de scientia media: Non magis pertinet ad vim intellectivam suum objectum efficere, quam ad potentiam effectivam suum opus intelligere: Sed potentia effectiva non intelligit suum opus: Ergo nec intellectiva efficit suum objectum.

Respondeo distinguendo intellectiva, quæ est merè speculativa; negando verò de vi intellectiva, quæ est eminenter speculativa & practica; hæc enim convenit intelligere simul & efficere, ut patet in intellectione nostra, quæ simul habet rationem intellectiōis, respectu verbi quod producit; illud enim intelligendo producit, & producendo intelligit: Scientia autem libera in Deo non est purè speculativa, sed etiam practica, ut patebit ex dicendis articulo sequenti; unde non mirum si illa simul suum objectum intelligat & efficiat, ac eminenti quodam modo simul habeat rationem potentie cognoscitivæ & executivæ: De quo inf. art. 4.

15. **O**bjicies secundò: Si scientia Dei esset causa rerum, non distingueret ut virtualiter ab arte divina; respiceret enim creaturas ut factibiles, sicut ars in mente divina existens: Sed hoc videtur falsum, & contra communem sententiam, quæ ponit distinctionem, saltem virtuales, inter virtutes intellectuales in mente divina existentes: Ergo & illud.

Respondeo primò, nõ esse improbableem, scientiam Dei, quatenus formaliter practica est, & respicit creaturas ut factibiles, ne quidè virtualiter in Deo distingui ab arte divina: in nobis enim ille virtutes intellectuales distinguuntur, quia scientia habetur in nobis de universalibus, ars de particularibus; prima procedit per causam, secunda verò per quandam experientiam & usum: unde cum illæ imperfectiones procul sint à Deo, & ejus scientia sit de particularibus, & ars in mente ejus existens procedat per veram causam ipsius operis; non improbabiler dici potest, scientiam practicam, & artem, in Deo nequidem virtualiter distinguui, sed solà distinctione rationis, quæ fitur ex analogia ad creaturas, in quibus illæ virtutes intellectuales realiter distinguuntur. Si quis tamen velit inter illas ponere distinctionem virtuales, sicut inter alia attributa: ad probationem in contrarium, facile poterit respondere, quòd quavis scientia practica, & ars divina, respiciant creaturas ut factibiles, non tamen eodem modo: scientia enim illas respicit ut factibiles absolute, & quantum ad substantiam operis; ars verò divina, illas non respicit ut producibiles, quantum ad substantiam, sed quantum ad modum, & quatenus sunt factibiles modò quodam artificioso. Cætera argumenta quæ contra hanc conclusionem fieri solent, commodius proponuntur, & solvantur articulis sequentibus.

ARTICULUS II.

An scientia quæ in Deo est causa effectiva rerum, sit ea quæ dicitur simplicis intelligentiæ, vel quæ visionis appellatur:

§. I.

Premittenda ad resolutionem questionis.

16. **N**otandum primò, causalitatem divinæ scientiæ duobus modis posse considerari: nimirum.

Arum quasi in actu primo, ut videlicet habet divina scientia virtutem causativam rerum; & in actu secundo, quoad exercitium videlicet causalitatis, & actualem productionem creaturarum.

BNotandum secundò ex D. Thoma quæst. 2. de verit. art. 9. ad 2. & ex Ferrariensi 1. contra Gentes cap. 62. distinctionem scientiæ divinæ, in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, non se tenere ex parte Dei, sed tantum ex parte objecti, & connotati materialis; ac proinde magis esse quandam explicationem diversarum terminationum, seu terminorum qui à Deo cognoscuntur, quam divisionem unius attributi: & unius scientiæ in plures virtualiter inter se distinctas, in quantum enim divina scientia concipitur terminari ad creaturas solum sub ratione possibilem, non attentà ex vi hujus terminationis illarum futuritione, & existentia, *simplicis intelligentiæ* nuncupatur: quatenus verò non sistit in sola quidditate, & possibilitate rerum, sed attingit illarum futuritionem, vel existentiam, & præsentiam quam habent, aut in mensura propria, vel in mensura superiori æternitatis, sumit denominationem *scientiæ visionis*.

CNotandum tertio, scientiam Dei liberam duplicem habere formalitatem & respectum: unum ad voluntatem Dei, & ad decretum efficacem, & absolutum in quo fundatur; alterum ad objecta quæ contemplatur & videt ut præsentia, vel in propria eorum mensura, vel in mensura superiori æternitatis: secundum primum respectum quem dicit ad voluntatem Dei, & ad decretum illius, dicitur scientia approbationis; ex alio verò quem dicit ad objectum quod intuetur ut præsens, vel in mensura propria, vel in mensura æternitatis, sumit denominationem *scientiæ visionis*, ut docet D. Thomas locis supra relatis. Demque secundum primum respectum, scientia divina est practica, & factiva sui objecti; & secundum alium, est speculativa, & intuitiva illius, ut magis infra exponemus.

§. II.

Quatuor conclusionibus difficultas proposita resolvitur.

Dico primò, scientiam simplicis intelligentiæ esse causam productivam rerum in actu primo. Ita docet D. Thomas in hac quæstione art. 16. ad 1. ubi dicit: *Scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum: quorundam quidem actu, scilicet eorum quæ secundum aliquod tempus sunt; quorundam verò virtute, scilicet eorum quæ potest facere, & tamen nunquam sunt.* Et quæst. 15. art. 3. ad 2. *Dicendum, inquit, quòd eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum.* Unde cum ex eodem S. Doctore hic art. 9. scientia simplicis intelligentiæ ea sit, quæ versatur circa ea quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, manifestum relinquitur, illam esse practicam, & factivam rerum remotè in potentia, & veluti in actu primo.

EProbat in super ratione. Scientia simplicis intelligentiæ continet in se ideas rerum possibilem, & se habet sicut ars in mente artificis, antecedens voluntatem producendi opus: Atqui ars existens in mente artificis, & antecedens voluntatem producendi opus, est productiva in actu primo operum artificialium, ut docent Aristoteles & D. Thomas locis supra relatis: Ergo & scientia simplicis intelligentiæ.

D d 2

Con-